Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



tuus mortuus est: et ista vivit non: sed filius tuus
mortuus est: et filius meus vivit. Dixit ergo rex.
Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladi-
um coram rege ait. Dividite inquit infantem vivum
in duas partes: et date dimidiam partem vivi et dimi-
diam partem alteri. Dixit autem mulier cuius filius e-
rat vivus ad regem. commota sunt quippe viscera
eius super filio suo. Obsecro domine. date illi infan-
tem vivum: et nolite interficere eum. Contrario illa dice-
bat: Nec mihi nec tibi sit. sed dividatur. Respondit rex
et ait. Date huic infantem vivum: et non occidatur.
Hic est enim pater eius. Audivit itaque omnis isra-
el iudicium quod iudicasset rex: et timuerunt regem:
videntes sapiam dei esse in eo ad faciendum iudicium.

Esto mihi in deum protectorem et in locum refugii ut salvum me facias. V. Deus in te speravi domine non confundar in eternum. Sim

In illo tempore: Erat pascha iudeorum et ascendit iesus ierosolima. Et invenit in templo vendentes oves et boves et columbas: et nummulares sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo oves quoque et boves et nummulariorum effudit aes: et mensas subvertit. et his qui columbas vendebant dixit. Auferte ista hinc: et nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Recordati sunt discipuli eius quia scriptum est. Zelus domus tue comedit me. Respondentes igitur iudei dixerunt ei. Quod signum ostendis nobis quia hec facis. Respondit ihs et dixit eis. Solvite templum hoc: et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt iudei. Quadraginta et sex annis edificatum est templum hoc: et in tribus diebus excitabis illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum igitur resurrexisset a mortuis